QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS I. MART. MAGISTRO CAROLO BOVVARD Doctore Medico Moderatore Prudentiss.

An Mulieri præfocatæ Vir ſucculentus?

AB vtero vel in vtero, mulier principiis orta debilioribus, viro inferior (ſexus vt partibus ſic morbis & curatione longè diſtat) infœlicior brutis, omni ætate a pubertate morbus eſt: cui vir vt turpi pulchritudo, materiæ forma, votum primum, tutum perfugium: fortunatior κυοφόρος: perfectior εὐπολυτόκος: grauidæ licet vix vſquam ſanæ; matri longa decem tulerunt faſtidia menſes: exitioſus ſæpe aborſus, quem procurare necare eſt: dirę ὠδῖνες: ἄζυγος tamen & ἄφορος (aduerſa naturæ conditio) deterior: hæc θηλύτητος læſio, illa ſoboles ignominiæ, vtraque longè grauiorum parens eſt ſymptomatum. Peſſimus eſt ſtrangulatus quo tanta reſpirationis offenſione, totiuſque corporis refrigerio ex vitioſa vteri intemperie nuda & humorali, obſtructione, peruerſione, corripitur, vt aliquando ſine ἡγεμονικῶν vſu, ſenſu, motu, pulſu, voce, ἄπνους, & illaqueationis opinione faucibus veluti manu præcluſis quaſi extincta, interdum cum iiſdem deprauatis aut imminutis iaceat. Pro afficientium cauſarum & affectarum partium virtute & varietate tam multiplici ludit erinnys iſthæc facie, vt ne leuiores quidem, ſed grauiores, ſyncopen cui vinum; epilepſiam, cui frequens eſus; apolexiam, quæ materia & loco ab epilepſia differt; venenorum aſſumptionem, quorum certa nulla dignotio, diſcrimine vix ſeparabili mentiatur affectus.

PARTE M omnem vterus iniquæ ſuæ ſortis conſortem facit; principem omnem participem: qualis vterus tale reliquum corpus: affectus afficit, infectus inficit: deſultoria leuitate velut animal effractis ergaſtuli ſui repagulis, ſeu flatu, fœtu viuo, mortuo, mola, ſecundis, ſanguinis grumo, vel inquinamentis quibuſlibet intumeſcat; ſeu pleniore alueo diſtentis vaſis, aut inanitione contractis conuellatur; ſeu menſtrui & ſeminalis roris auidus ad latices viſcerum gratioſos ſurſum furens & famelicus excurrat; ſeu odorum promoueatur occurſu; ſeu alteratæ cuiuſuis materiæ glacialis vapor; aut putredine corruptæ lethalis aura ex voragine mulieris educta, ipſum dum inquinat & exagitat, ventriculum ſimul, iecur, φρένες, cor, pulmones, gulam, cerebrum impetat hoſtiliter & exoluat; in omnes (nec ineptè vulgus) dũconuolat quoquouerſum partes & irruit, obruit: immanior quouis phalangij, ſcorpionis, aut rabioſi canis morſu, & ſontico quouis inſultu: infenſior quauis grumoſi lactis, lumbricorum (quorum ſunr mendacia ſigna) morbillorum, variolarum, & exanthematum, quibus apparentibus phlebotomia, cacoethiâ: & ipſâ partis citra cauſæ nocentis euidentiam penè funeſtior corruptelâ.

Neglecta puerperarum curâ ſubit Aer locos: prægnans ſtrangulata ſecta vena abortit: molane an fœtus primis temporibus (qui tum maxime immunis ab iniurijs) iſque æger an mortuus ſuffocationem inducat & contineatur, peræque incertum: iudicio fallaci obſtetricis ſenſus fallacior: Secundarum reſtitantium, oculi duces: thrombum ſanguinis repentina lochiorum (a quibus tormina aquæ potu compeſcenda) retentio ex compreſſionè aut diſtortione oris infert: quamcumque flectatur in partem vterus, grauitas, dolor, tumor, comites aſſidui: Siti dum proſilit, ipſo vel tactu grauis circa vmbilicum & globoſa moles percipitur, negata venus vel intermiſſa, ſurſum menſes curſum reflexere, per os, nares, oculos, papillas, erupturi, aut in lac abituri, aut laboribus digerendi, aut morbos a ſanguine genituri; melancholico, qui genius verſipellis ἐνεργουμένων, vix alius; bilioſo a quo conuulſio ſine febre facilis; phlegmatico, a quo virginibus decoloribus venus; diuturnioris cura difficilior ſuppreſſionis, octimeſtris inſanabilis: ab aura refrigerati ſeminis, aut corrupti, ſymptomatum vehementia & celeritas, menſium periodis (quas luna non regit) nihil interruptis arguit.

QVO vehementior, longior, crebrior, eò funeſtior eſt præfocatio: acutiſſimus ſine febre morbus, ſuperſtite minerâ periodicis rediuiuus momentis: Autumno & hyeme frequens atque periculoſa: viro maturis (quibus ex materia intra vaſa putri potius conſurgit) tutior: libidinoſis quales pallidæ & macilentæ (quæ molas ſolæ, fœtum nuptæ facile concipiunt) viduis, caſu ſterileſcentibus (quibus ex venefico extra vaſa profuſo ſemine prodit) exitialior, licet familiarior: quam nuptis, grauidis, menſtrualibus, quibùs vel rara eſt, vel calamitoſa: Puellis & viris blanda vel inſolens: intemperatæ iuuenculæ, quæque 45. annum, menſtruorum finem (.mulier etiam non menſtruata concipit) exceſſere, longam & periculi plenam, incurrunt: ab vteri ſitu mutato leniſſima eſt: ab omni putrentis materiæ ſpiritu, grauiſſima: Quidnon veneni férunt internis concluſa menſtrua conceptaculis, quorum tam noxia ſunt extrinſecus emiſſa contagia? ſemen tamen (ſanum mulieri fœcundum eſt & maſculum) ὑπηνέμιον peſtis eſt longè capitalior: optima quæque corruptione deteriora fiunt: cùm reſolutis cerebri, cordis, pulmoniſque viribus, diaphoroticus ex ſyncope mador exurgit (nec tamen ante triduum ſepeliendæ) conclamatum eſt. Aſt vbi eædem ſenſim expromuntur, & ex obſcænis, obſtetricis digito ſuauiter proritatis, ſubductus emanat liquor, præſentis iſta ſunt prænúncia ſerenitatis.

CVratio ſeu prophylactica ſeu therapeutica cauſæ eſt & morbi, nulla ſymptomatis: vtraque diætæ licet & cæterorum præſidiorum opportunitate, ceu repurgatione crebra (quæ vt die impari ſecura, ſic pari criſis) ceu frequenti phlebotomiâ, ceu accliui partium ſuperiorum collocatione, decliui inferiorũ, cingulis ſolutis, diductiſque cruribus, ceu ſuaueolentibus vtero, graueolentibus ori, frictionibus, vinculis, cucurbitulis ad inguina (quæ fluentibus non minus proficuæ menſibus) ſternutatorijs, clyſmis, fotibus, iiſq; demũ omnibus, quæ naturã erigere, materiã reuellere, deriuare, vacuare, & reprimere vâleant, ſeruet, caueat, medeatur: punctũ tamen omne haud dubiè ſecum vir præſens feret cautionis & curationis; non eſt crede mihi mentula quod digitus: vterus enim pro inſitis ſibi mutui complexus illecebris, & innato initus atque voluptatis ſtimulo incundiore, attritu libidinis incaleſcens, flatum diſcutiet, onuſque inſenſum vt veſica lotium confeſtim egeret, atque ex ſublimi illa cõtentione, oblata præda, præceps oreque obuius, cerui in modum, dum profundis è cuniculis ſerpentem inſpiratu pertrahit, ſuas raptim ſuctu prolectabit delicias, ſi lauto vir inſtructus commeatu ſubdito in præfocatæ prępinguis & formoſæ (quarum gratior amplexus) locellos rigente peſſulo, non minori fructu quam voluptate, ſtrenuè valenterque ſuum munus obeat, eiuſque vel grauidæ gremium (arbotiua namque ſunt cætera) geniali rore, amœnè ſufficienterque lætificet & impleat, eam non minùs citò, tutòque, quam incundè perſanabit.

Ergo præfocatæ Mulieri Vir ſucculentus.

Propugnabat FRANCISCVS LE-SAGE Pariſinus anno Domini 1612.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI



M. Franciſcus Placet.	*M. Stephanus Delafon.*	*M. Henricus Blacuod.*
M. Andreas Duchemin.	*M. Carolus Bouuard.*	*M. Nicolaus Elain.*
M. Georgius Arbauld.	*M. Claudius Charles. P. R. Decanus.*	*M. Guillelmus de Baillou.*